



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 59. Sessionis VI. prorogatio in Concilio proposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI. A. C. 1546. rellō, qui Patribus a secretis erat, negotium dabant, ut testibus ad examen vocatis iudicii acta instrueret: Interea vero summus Pontifex rem edoctus intime doluit, datisque ad Legatos literis præcepit, ut severitate uterentur: Igitur re die vigesima octava Julii decisa Episcopus Cavenſis ex Synodi sententia perpetuo a Synodo, ac Tridentina urbe exulare, & Pontificem supplex adire jubebatur, ut ab anathemate, quod incurrerat, abſolveretur. Aſt Pontifex hujus ſententiæ rigorem lenitate temperaturus, Legatis ſuis facultatem conceſſit, vi cujus ipſi eundem abſolvere, atque ad ſuam ſedem, ſi ipſis bene viſum fuerit, remittere poſſent. Demum Cavenſi Jacobus Jacobellus Bellocastrenſis Episcopus fuit ſubrogatus, ut ejus nomine deinceps Concilii negotia procuraret.

§. LIX.

Sessionis VI. prorogatio in Concilio propoſita.

Pallav. c. 7. *no. 2.* Cum vero dies vigesima nona Julii ad celebrandam Sessionem sextam præfixa appropinquaret, necdum tamen dogmata ibidem decidenda ſatis fuiſſent diſcuſſa, hinc Legatorum primus in quodam cœtu die vigesima octava ejusdem
men-

mensis habito hanc Sessionem omnino ^{Sæcul. XVI.} prorogandam exposuit, eo potissimum ^{A.C. 1546.} nomine, eo quod circa postremos duos dogmatis articulos, necnon circa Episcoporum residentiam plura adhuc definienda superessent, quam in rem Præses sequens dedit consilium: *Quamquam argumenti difficultas, Et amplitudo obstitissent, ne omnino per id temporis cuncta absolventur, Et quæ Sessioni paranda erant, perficerentur; ea tamen poterit haberi omnia rituum pompa, cujusmodi sunt solenne Sacrum Et Concio, convocatis autem postridie mane Patribus tandem deliberari potest de præparatis Decretis, quæ tria capita jam proposita, Et per privatos, publicosque Conventus expensa compledebantur. Duplici ex causa ad id me promum ostendo: Primo, quod per literas excepissem, Pontificem a prorogatione plurimum abhorrere: deinde, quod Roma pariter a viris probatissimis significaretur, designatam Decretorum formam planissime ibi probari: unde eo securius eam stabiliendam esse censeo. Porro ex tribus Papæ Legatis solus Cardinalis Montanus huic Congregationi intererat: Marcellus enim Cervinus absens fuit, Polus autem adversa valetudine pressus Patavium secesserat, cumque pristinam sanitatem ibidem recuperare desperaret, abdicato Legati munere Romam reversus est.*